



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Nicolai Cavssini Trecensis, E Societate Iesv, De Eloqventia
Sacra Et Hvmana Libri XVI**

Caussin, Nicolas

Coloniae Agrippinae, 1634

Lvdovico XIII. Francorvm Et Navarrorvm Regi Christianissimo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70090](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70090)



LVDOVICO XIII.
FRANCORVM ET
NAVARRORVM REGI
CHRISTIANISSIMO.

ELOQUENTIAM tibi Rex CHRISTIANISSIME, apparatissimis Græcorum Latinorumque munitijs excultam, ad sacrarium tuæ Maiestatis sisto, Reginam *Flexanimam* REGI potentissimo; prædicationem beneficij DOMINO munificentissimo; PARENTI verò optimo æternum obseruantiaë momentum.

Si spectatur operis argumentum, satis habet commendationis: si ratio offerendi, multum habet officiosæ necessitatis. Conceptum est enim in ipsis Flexiensis Academiaë spatijs, in proprio tui PARENTIS FELICIS solo, & Regiæ illius pueritiæ cunabulis, ubi eloquentiam per annos aliquot sum professus. Nunc autem, emergit Lutetiaë in tuorum arce regnorum, in quam urbem, ad eadem rei literariæ curricula, iam quasi *διαυλοδρόμου* euocor. Inchoatus est, ut vides, hic liber in tuo, de tuo creuit, nascitur in tuo: ubique occurrit tibi, nec minus Maiestatem tuam latere potest quàm Solem.

Verùm etsi me verecundiæ leges, aut occultari iuberent, aut silere; Tamen faciliùs in ore flammam opprimi posse crederem, quàm in grato animo recordationem beneficij. Tua sunt, REX OPTIME, in hanc Societatem promerita, ut infantes etiam facere possint Oratores. Tu enim perinde ac si hereditarium illud munus haberes ab augustissimo PARENTE tuo, ut nos diligeres, statim regali animo hanc Societatem complexus es, ut idem penè tibi videatur fuisse exordium nascendi, quod fuit principium de nobis bene merendi.

Nunc verò & postquam illud nostrum Parisiense Collegium,

tot

tot annis iam quasi virgultis interclusum & derelictum, ad quod frustra tot bonorum vota adhærescebant, repente aperiri iussisti, eodem profecto tempore huic orbi Christiano declarasti, quid summa benevolentia in summa auctoritate posset. De nobis verò sapientissimi illius tui consistorij ea fuere iudicia, quæ venerari magis licet, tanquam leges perpetui in publicum officij nobis impositas, quàm intemperantiùs predicare.

Quid mirum igitur; ò Rex, si tibi nostrorum omnium voluntates & opera liberiùs affluunt, & velut in ipsum fontem gratissimè refunduntur, cum tu nos ista amoris testificatione iam tuos nexu & mancipio feceris? Tu certè quidquid est hoc operæ, non aspernabere. Nam & tua Maiestas ex hoc fastigio se ad nostram tenuitatem benignis oculis spectandam plerumque demittit, & quod à sapientibus dictum audio, quasi *magnitudinis seruitutem existimet non posse fieri minorem*, versatur cum minoribus summa affabilitate sermonis; quorum ego minimus has hodie lucubrationes sub tui nominis luce profero, nec meæ iam me pudet tenuitatis. Auiculas si quidem aiunt, cum nihil possent opulentius, plumas ad magnificentissimum Delphici Apollinis templum, sicut & apes ceras vltro detulisse: sic & nos ad hæc tot gloriæ tuæ monumenta, quæ alij partim tibi dedicârunt, partim etiam dedicaturi sunt, hanc opellam nostram adiungimus. Poterunt illi magnificentius, nos certè nihil possumus amantiùs.

Maiestatis tuae Deuotissimus

*Nicolaus Caussin, Sacerdos
& Societate IESV.*